



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 47. Mors Regis Joannis. Carolus V Franciæ Rex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Secul. XIV. mille quingentos. Pactio scripta fuit
A. C. 1364. tertio Martii: ob quam cunctis crimini-
 bus suis liberatus Barnabas; quippe so-
 lutus censuris omnibus, omnia in jura sua
 restitutus; & interdictum Bononiæ solen-
 niter sublatum est.

§. XLVII.

*Mors Regis Joannis. Carolus V
 Franciæ Rex.*

Illa pax erigebat spem belli transmarini:
 sed brevi hanc infregerunt disjunctæ
 modico intervallo mortes Regis Gallo-
 rum, & Cardinalis Petrocoricensis. Po-
 sterior, qui nominatus ad expeditionem
 sacram Legatus erat, obiit Avenione 17
 Jan. 1364. Priorem in Angliam rever-
 sum, Londini corripuit morbus ac extin-
 xit 8 Aprilis eodem anno, ætatis suæ
 quinquagesimo sexto, regiminis decimo
 quarto. Corpus in Franciam relatum in
 abbatia Dionysiosanensi sepultum est die
 Martis 7 Maji. Succedens ei filius na-
 tu major Carolus Dux Normanniæ ac
 Delphinatus Dominica SS. Triadis 19 e-
 jusdem mensis Maji Remis coronam, ac
 inunctionem sacram, & postea cognomen
 Sapientis accepit.

Papa Urbanus Archiepiscopo Petro
 Thomæ legationem ad bellum transma-
 rinum antehac a Talerando Cardinali Pe-
 troco-

Vita p. 402.

Froiss. l. I.

c. 119. 121.

223.

Ph. Vill. l. II

c. 76.

Cont. Nang.

p. 892.

Vita. c. 14.

n. 80.

trocoricensi susceptam, Patriarchæ Constantinopolitani titulum, Ecclesiarum Coronensis, & Chalcidiæ administrationem, unde viveret, ac decem florenos quotidianos decrevit. Diploma legationis dedit 10 Jul. an. 1364: ac Petri potestatem in cunctas Thraciæ seu Romaniæ provincias extendit.

Sæcul. XIV.
A.C. 1364.

Rayn. 1364.
n. 24.

Supremum belli sacri Ducem adhuc neminem loco Regis Joannis Papa designaverat; ut ait in suis ad Joannem Palæologum litteris 17 Calendas Novembris scriptis. Interim Rex Cyprius, qui se Crucæ signatis usque ad profectioem Regis Joannis præfaturum sponderat, ab Imperatore, cæterisque, quos adierat, Principibus Occidentis, bella quidem verba, sed reapse nullam opem obtinuerat.

n. 26.

Sup. §. 45.

Vita P. Tho.
n. 83.

§. XLVIII.

Rex Daniæ, ac Imperator Carolus Avenionem adveniunt.

Urbanum haud ita pridem ad summam evectum sedem etiam Valdemarus III. Danorum Rex invisit: & Avenione tum commorans, cum Galliæ Cyprique Reges sacræ militiæ nomen darent, crucem & ipse induit. Quarta jejunii verni Dominica Papa rosam ei auream donavit, & multas, quibus Daniæ templa ditaret, re-

Vita PP.
p. 366. 983.

N 2

liquias